

11322 v. 13. 6. 12 N. 2.

83

Joannis Zhuber

D i s s e r t a t i o

inauguralis medica

de

Phthisi pulmonali.

.....

P

Ill
Pr
Sp

pro

The

D i s s e r t a t i o

inauguralis medica

de

Phthisi pulmonali.

Quam annuentibus

Illustrissimo ac Magnifico Domino
Praeside et Directore, Perillustri ac
Spectabili Domino Decano, ac Cla-
rissimis D. D. Professoribus,

pro Doctoris Medicinæ laurea rite obtinenda in
Antiquissima ac Celeberrima Universitate
Vindobonensi,

publicæ disquisitioni submittit

Joannes Zhuber,

Carniolus Gabriensis.



Theses adnexae publice defendentur in Universitatis
aedibus, die Mensis Martii 1816.

Viennae,

Typis Math. Andr. Schmidt.

O quantum difficile est curare morbos pulmonum!

O quanto difficilius eosdem cognoscere, et de
his certum dare praesagium.

Baglivii Opera lib. I. p. 34.



Perillustri ac Doctissimo

Domino Domino

Viro Integerrimo

Antonio Jeuniker,

Doctori Medicinae etc. etc.

Professori quondam suo in aeternum colendo.

Perilluati ac Doctissimi

Domino Domino

Viro Illustrissimo

Antonio Jerniker

Baroni Medicinæ etc. etc.

Professum grandam etc. in gettara colada

Perillustris ac Doctissime
Domine!

Virtutes Tuae meritaque eximia me imbecilli non egent praecone. Qui ego hisce totius provinciae in laudes Tuas efferventis complecti possum sermones? qui enumerare inopi et diviti praestitas opes? Tuus in patriam, salutemque publicam amor infausta regiminis vicissitudine potissimum inclaruit; provinciae a medicis meliora fata sequentibus destitutae summo benefaciendi fervore adstitisti, onera gravissima Tuo solum ferenda ingenio neglecto commodi Tui studio suscepisti. Per-

*bene nota sunt, quae totius Regni
quondam Illyrici Archiater pro bono
publico gesseras, Tuum auxilium,
Tuamque beneficentiam tum amici tum
hostes indiscriminatim experti late per
Europam in laudes Tuas exclamant.
Virtutibus scientiisque Tuis omnibus
carus, mihi sane es carissimus. Tot
tantaque mihi oblata beneficia me Tibi
totum adstrictum tenent, et in perpe-
tuum tenebunt. Praxeos clinicae Pro-
fessor me singulari amplexus es ami-
citia, ex te primos uberrimosque scien-*

*tiarum medicarum haustus traxi. Absentem me patrio consilio consuetaque
Tua gratia cumulasti, nec non aerum-
nis luctantem manu beneficentissima
ad optatam perduxisti metam. Uti-
nam! tantum mihi esset et faculta-
tis et potentiae, debitum ut gratitudi-
nis meae testimonium Tibi praebeam.
Quod tanquam gratitudinis meae pi-
gnus ac monumentum tibi statuo opus-
culum, leve nimis est, nec nomine Tuo
satis dignum. Accipe igitur volunta-
tem et satisfaciendi connatum, accipe*

*primitias meorum laborum eo animo,
quo Tibi easdem dedico, meque Tuum
discipulum gratiis ulterius prosequi
non desiste.*

*Sit Tua salus integra! sit Tibi vita
longaeva! nil tum amplius restat desi-
derii Tuo*

Devotissimo discipulo

J. Z.

Lector benevole!

Supremae legis jussu in forum litterarium prodeo. Practici quid scripturus materias volvens revolvensque in phthisim pulmonalem incidi. Morbum frequentissime observatum describere praeplacuit, quam de morbo peregrino ac ex praxi propria incognito merum disserendo agere compilatorem. Nova non habeo, sed, quae propria experientia confirmata inveni, in ordinem practicum collocare, atque remedia ab auctoribus comendata diversissima, et in viribus sibi opposita in situm morbo

convenientem redigere studui. Bene
sentiens difficultates in campo amplis-
simo ea solum decerpsi, quae summi
sunt practici valoris. Ne volumen ul-
tra modum augeretur, omni explica-
tione abstinui symptomata cuilibet pro
sua theoria explicanda relinquens, nec
non omissis autorum citationibus opus,
quantum abs periculo licuit, contractum
servavi. Quantum temporis angustia
variisque presso calamitatibus licuit,
praestare intendi. Donec quid gran-
dus aetas sorsque ferat melius, fronte
benevola ut accipiatur, rogo. Si eru-
ditis conamen meum iudicibus minus
displicuerit, magnum sane periclitanti
accedet proemium.

S e c t i o I.

P a r s d i a g n o s t i c a .

Definitio.

Phthisis (a graeco verbo $\Phi\theta\iota\omega$, $\Phi\theta\iota\omega$ corro-
 po, consumo, extenuo, in tabem resolvo) indi-
 cat diminutionem, corruptionem, colliquatio-
 nem corporis undecunque natam. Generican-
 hanc expressionem plerique medici adoptarunt
 ad consumptionem corporis ex ulcere partis cu-
 juscunque ortam designandam, species vero epi-
 thetis ab ulceris sede depromptis exprimere solent,
 ut: *phthisis pulmonalis, hepatica, renalis* etc.
 Plurimis praeterea medicis pulmonum suppuratio
 per eminentiam *phthisis* dicitur, quam denomi-
 nationem omnibus notam brevitatis gratia non
 raro imitabor.

Phthisis pulmonalis a *Sauvagesio* a) sequentibus definitur: est corporis emaciatio cum febre amphimerina lenta, tussi, dispnoea, et sputis purulentis rejectis.

Reid b): est expectoratio materiae purulentae ex pulmone cum febre lenta mane inter sudores remittente, relicta debilitate.

Petr. Frank c): est consumptio cum febre hectica, tussi et plerumque cum puris rejectione.

Plurium citatione definitionum volumen augere superfluum existimo, cum ad essentiam hujus morbi omnes medici corporis emaciationem, febrem hecticam, et pulmonum suppurationem recenseant. Hi vero characteres ab initio tam mittes, et tanta fallacia incedunt, ut ab aegro et medico expertissima non raro praetervideantur. Quare ad reddendam claram morbi ideam phthisim pulmonalem praemissa divisione per omnia stadia depingere studebo.

Divisio.

Cum sub phthisi pulmonali corporis maciem ex pulmonum suppuratione definitione data intel-

a) *Nosologia methodica* T. IX.

b) *Thom. Reid*, über die Natur und Heilung der Lungensucht, aus dem Engl. 2. Aufl. 1785.

c) *Epitome de curandis hominum morbis liber VI.*

lectam velim, omnium primo inquirendum est, utrum haec obtineat nec ne, quare dividitur

1. in phthisim *legitimam*, ubi vera pulmonum suppuratio adest, et in *illegitimam*, ubi fomes purulentus deficit, quo recensetur phthisis pituitosa et nervosa.
2. quoad originem; in phthisim ex pulmonum inflammatione phlegmonosa ortam, vel ex catarrhosa exanthematica metastatica etc. natam.
3. juxta formam: phthisis cum ulcere aperto, vel cum ulcere clauso (vomica), vel denique phthisis tuberculosa.
4. Secundum complicationem: phthisis *simplex* alieno morbo non inquinata, et *complicata*. Complicatio vero aut est universalis, aut localis. Prior contingit aut ex ratione individui ante morbum praesentem minus sani, cachectici, discrasici, scrophulosi, syphilitici, arthritici, herpetici, hydropici, scorbutici etc.; aut ex parte causarum lateralium, quibus innumerae oriuntur consociationes morborum tum febrilium, tum chronicorum, quos inter, catarrhus, rheumatismus et febris intermittens frequentissime obveniunt. Non infrequentem complicationem localem hydrops sistit. Complicationum respectus maximi in praxi est

momenti, atque funesti phthiseos exitus fors plurimum ex eo repetendi veniunt, quod medici in complicationes non rite attendunt, vel istae quidem cognitae difficulter amoventur.

5. pro morbi gradu in tria dividitur stadia, ut: *phthisis inchoata* a suppurationis initio usque ad sudorum adventum colliquativorum excurrit; *phthisis confirmata* incipit sudoribus colliquativis, et accessu diarrhoeae colliquativae terminatur; *phthisis consummata*, diarrhoea colliquativa hoc stadium aperit morte claudendum.

Plures praeterea dantur divisiones, quas vero, cum nec logicae nec practicae sint, silentio praetereo. In descriptione sequenti juxta tria stadia symptomata essentialia phthiseos exponam habitu respectu differentiarum, quas in divisione recensui.

D e s c r i p t i o.

I. Stadium. Phthisis inchoata.

Exoritur frequentissime a levioribus pulmonum inflammationibus sic dictis occultis, soepius recidivantibus. Cachexia haec ab initio jam febre stipatur, cum puris generatio absque inflammatione, haec vero absque febricula affecto or-

gano nobili cogitari nequit. Pus generatum et pro parte absorptum stimulo alieno systema sanguiferum afficit, continuamque febriculam sustinet. Accedit laesa pulmonum functio, qua sanguificationis opus omnesque functiones turbantur, nata inde debilitate et laxitate rerum sanitati alias congruarum influxus febrem praesentem non solum sustinere sed et augere valet, quod etiam a modico pastu exacerbatio evidentissime probat. Est itaque febris phthisim comitans mere symptomatica.

Ingreditur mox habitu febris continuae remittentis, mox intermittentis, a frigore, calore et subsequo sudore, vel quovis die, vel omni altero, vel quarto redeunte. Post tres quatuorve paroxysmos, si intermittentis more incedit, mitescit, typum continuum quotidianum observat cum exacerbationibus pomeridianis et vespertinis, saepe ita mitibus, ut ab aegro et medico praetervideatur. A pastu calor quidquam augetur, aut nulla aut levi praevia horripilatione, aut horribus cum calore alternantibus, calent praecipue in volis manuum plantisque pedum, gena utraque aut una solum laete rubet, rubore circumscripto notata, pulsus parvi duri frequentes non raro irregulares. Reliquo tempore nullam aeger molestiam accusat, nisi calores levissimos fugaces et aliquam lassitudinem, ceterum opificio suo

solito more praeest. Ad vesperam calor levissime augetur, morbo increscente nox fit inquieta, accedentibus ad auroram sudatiunculis exiguaque debilitate relicta febris remittit, ita ut pulsus quietus esse videatur. Sitis ab initio vix adest, tractu temporis exigua, appetitus normalis non raro auctus. Respiratio quidquam difficilis anhelosa praecipue sub loquela, scalarum ascensione, motu quocunque corporis graviore, pectoris oppressio cum dolore in thorace mox fixo mox fugaci, mox lancinante pungente, mox oppressivo, aut cum ardoris sensu sub medio sterno. Accedunt dolores vagi ad scapulas, dorsum et ad extremitatum articulationes, rheumaticas vel arthriticas affectiones vagas mentientes. Tussis ab initio exigua subsicca nonnisi aliquid mucii excutiens, tractu temporis fit frequentior cum voce quidquam mutata ranea, sputisque flavescens subdulcibus aut subsalsis foetidis, puriformibus. Alvus aut normalis aut normali segnior, urina valde variat, mox pallida, mox profundius tincta, mox sedimentum deponens cum supernatante in superficie crusta quasi oleaginosa. Debilitas ab initio non manifesta, morbo vero secundo stadio appropinquante jam ab aegro ipso indicatur, etsi bene se moveat opificioque suo praesit, tamen a majori quidquam corporis motu insolitam experitur lassitu-

diem. Morbo progrediente corporis volumen imminui incipit, quod voluminis decrementum aegro semper praesentes minus bene quidem, melius autem illi dignoscunt, qui per intervalla aegrum videre solent. Febris nunc fit magis regularis bene distinguenda, exacerbationes pomeridianae et vespertinae evadunt manifestae ad auroram accedente copioso sudore terminatae. Quamprimum hi sudores comparent, symptomata enumerata phthiseos ita jam sunt evoluta et expressa, ut medicus expertus malum ignorare non possit.

In hoc stadio character inflammatorius praevallet, calor praecipue tempore nocturno est notabilis, adest dolor, pressio, anxietas et dyspnoea. Post usum ciborum aromaticorum aut potus spirituosus exacerbatione symptomatum mox subsequente puniuntur. Imo a minori causa occasionali, cum jam adsint stases et inflammationiuncula in pulmonibus, gravissima peripneumonia revocari potest.

Phthisis est morbus secundarius, hinc pro diversa sua origine alia atque alia offert symptomata.

Inflammationis pulmonum phlegmonosae in suppurationem transitus sequentibus se offert signis: Peripneumonia gravis neglecta aut perverse tractata, cum summa respirationis diffi-

cultate, dolore sedem fixam occupante, tussi subsicca molestissima, sputis parvis spumosis flavescensibus sanguine striatis, et cum vehementi febre inflammatoria incedens, quam primum ad fastigium pervenit, decrescere quidquam incipit absentibus tamen evacuationibus criticis. Diebus tamen criticis plerumque decimo quarto vehemens exurgit exacerbatio a horrore subsequo calore et sudore, quam manifesta remissio excipit, dolor antea pungens oppressivus mitescit fitque magis pulsans, horror frequens ex loco determinato thoracis oriundus, anxietas et respirationis difficultas etsi imminuta vexare continuant, tussis frequentior humida cum sputis subsalsis flavescensibus puriformibus. Urinae antea flammeae nunc fiunt turbulentaе cum sedimento fursuraceo. Orgasmus et rubor universalis decrescit, genas magis occupans circumscriptus. Pulsus prius duri contracti suppressi evadunt pleni liberiores molliores, sub exacerbatione vespertina iterum ad aliquam duritiem recedentes. Calor praeprimis in volis manuum plantisque pedum concentratur. Phthisis haec modo supra descripto excurrit, passu tamen plerumque celeriori ex uno in alterum stadium ruit.

Iisdem se manifestat signis transitus in supurationem peripneumoniae catarrhosae gravioris, exanthematicae, metastaticae etc. Catarrhus

habitualis lento gressu supra designato difficulter ab initio cognoscendo in pravam huncce exitum tendit. Semper vero anamnesi et examine exacto individuum male dispositum atque diathesim scrophulosam detegere valebis.

Aliam phthiseos formam ulcus clausum constituit. Vomica diversae magnitudinis a pollicis ad pugni et majorem molem excrecens ubique occurrere potest, etsi frequentissimam sedem, *C. Sprengel d)* in pulmonis dextri parte superiori designat. Cognoscitur vero vomica futura ex absentia signorum solutionis peripneumoniae per plures jam dies durantis, ex accedentibus horripilationibus vagis dolore remittente quidem sed non ablato, ex superstite denique dyspnoea, febre cum ceteris peripneumoniae signis. Persistentibus vero allatis symptomatibus, si tussis sicca vel humida spumosa tantum ejiciens post partum motumque aucta continuat, si respiratio est parva frequens anhelosa strepens cum loquela intercisa, si febris adest hectica cum genarum labiorumque rubore, calore, si denique situs erecti necessitas accedit, decubitus magis horizontalis difficilis, in latus affectum tolerabilis, in sanum vero impossibilis fit, ad vomicam jam formatam summa cum probabilitate concludere

d) Handbuch der Pathologie. 2ter Thl.

licet. Quibus signis nonnulli etiam sonum obtusum percusso thorace, nec non calorem in latere affecto majorem, linteis humidis thoracis lateribus impositis in vomicae plaga prius exsiccandis explorandum adnumerant.

Quamdiu vomica clausa remanet, symptomata mitescunt, et aeger se melius habere incipit. Ex nimia vero puris in sacco mora diversi prodeunt effectus, pressio, paralyses extremitatum superiorum et partium vicinarum, dispnoeam ortopnoeam imo suffocationis periculum causat, pus acredine contracta contiguas partes arrodit. Plerumque vero sub quocunque motu corporis, tussi, sternutatione, risu, clamore etc. aut sola sanguinis ad hanc minus firmam plagam congestionem vomica repente rumpitur effectum pro diversitate rupturae diverso. Si vomica minor fuit optimo rumpitur effectum in bronchia, quod si vero major vomica apertura ampliore tantum puris bronchiis committit, ut ejici nequeat, oritur anxietas, vertigo, tremores, oculorum turgor, livor faciei, animi deliquia et mors suffocativa. Pus in cellulosam pulmonum substantiam effusum hydropis purulenti speciem constituit, quo, si pars tenuior puris absorbetur, pars residua in cavunculae vel topi speciem exsiccatur. Vomica in cavum thoracis rupta Empyema gignit, inde anxietas summa ac suffocationis periculum.

Rumpitur nonnunquam simul in bronchia simul in cavum thoracis canalem fistulosum relinquens hydropi purulento faventem. Si pulmo sub inflammatione cum partibus adjacentibus concreverat, pus exoneratur in pericardium mediastinum utrumque, vel erosis muscularis intercostalibus, costis carie consumptis externae nascuntur fistulae, nec non eroso diaphragmate pus ad hepar, ventriculum, lienem descendit, vel in abdominis cavum stillando ascitem purulentum generat. Vomica rupta pure evacuato exhibet phthisim cum ulcere aperto, eademque ac hæc signa præsentat.]

Phthisis tuberculosa frequentissimam sistit formam, quae symptomatibus mitioribus ac decursu lentiori stipatur. Tubercula modo unum pulmonem occupant, modo utrumque, præcipue vero ad partem superiorem occurrunt magnitudinis variae, agrani milii ad fabae majoris molem acervatim ut plurimum ut acini uvarum sibi vicinissima ponuntur, in tumorem unicum confluere videntur vix tamen comunicantem. Incisione substantia quasi cartilaginea percipitur, puris loco adest materia lenta caseosa. Partes vicinae contractae quasi callosae sunt, venae circa tuberculorum basin decurrentes varicosae, arteriae vero tubercula permeantes oclusae non injiciendae. Sunt plerumque effectus scrophularum, rarius arthritidis vagae aut impetiginum

suppressarum, nisi peripneumonia male terminata, aut pulveribus frequentius inspiratis, ut in lapicidis, acquiruntur. Exhibent vitiatum systema lymphaticum in pulmonibus. Phthisis haec sequentibus dignoscitur signis: incipit symptomatibus catarrhosis, tussi levi subsicca brevi habituali pertinaciter remediis contra catarrhum exhibitis resistente, dispnoea a motu aucta, dolore in thorace fugaci pungente, febricula continua sed miti. Atque sic affecti per menses et annos vivunt de nulla re conquærentes, quam de tussi velut catarrhali, dolore in thorace vago, et respirandi difficultate. Post longius tempus tussis redditur humida, præcipue tempore mutatio, viscosa, crassa, flava, viridia, partim purulenta, partim aquosa sputa eructans, in sputis multis mucosis punctulum est flavum ponderosius. In arthriticis concrementa interdum sabulosa sputis ejiciuntur. Sensim sensimque corpus emaciatur, febris fit clarior, respiratio difficilior, nox inquieta, et debilitas magis manifesta. Dolor ad sternum vel ad latus sub tussi augetur, advenit brachii in latere doloris stupor, decubitus in latus alterutrum difficilis. Morbus tum symptomatibus sub phthisi ulcerosa expositis excurrit, atque in sequentibus studiis plurima cum hac comunia habet.

Complicationes phthiæos describere non

possum, cum mens non sit, opere voluminoso materiam hanc penitus exhauriendi. Merito itaque rem summi in praxi momenti medicorum perspicacitati remitto.

II. Stadium. *Phthisis confirmata.*

Sicut in stadio priori nota inflammatoria praevalēbat, ita in hoc suppuratorius character eminet. Symptomatibus prioris stadii auctis febris fit magis manifesta et regularis, crescit intensitate ac duratione continuo anticipans, ut sensim circa meridiem incipiat, et nonnisi tempore matutino sub sudoribus copiosis ac insequente pallore et languore remittat. Somnus fere fugit, augetur a decubitu tussis sonora humida, sputa excutiens puriformia purulenta, globosa, striis sanguineis hinc inde notata, foetida. Dolor thoracis vix amplius adest, sed dispnoea major, respiratio brevis anhelosa imprimis sub loquela et motu. Carnes primum flaccescunt, dein evanescent, ut ossa sola fere pelle tegantur. Caput fere nunquam dolet nisi ex causa accidentali, mens peculiariter serena periculi inscia, continua convalescentiae spe nutritur, facies fit angulata collapsa, nasus acuminatur in apice rubens, oculi concavi vivacitate amissa; lingua siccescit cum siti cito explebili, appetitus viget, animae

foetor cum dentibus plerumque nitidis margaritaceis. Tussis et sputa memorata continuant, praecipue horis matutinis magna copia ejiciuntur. Puris acredine generantur in larynge et faucibus aphaetae, quae ingentes producunt molestias, tussim exasperant, et deglutationem difficilem reddunt.

Oppressio in thorace et anxietas quotidie augetur, decubitus varie molestus, mox in dorso, mox in uno solum latere, mox semisedentes decumbunt. Ex tussi magnae thoracis, diaphragmatis et musculorum abdominalium dedolationes. Abdomen gracile, catamenia silent, in aliis in venerem nisus, alvus plerumque regularis, urinae tinctae foetidae cum pellicula in superficie natante versicolore, sedimentum furfuraceum deponentes. Cutis calor auctus, in manuum volis pedumque plantis urens, cum sudore praecipue matutino copioso viscido, olente, calor universalis cum genis roseis. Magis magisque ingruente macie laxitate et debilitate sudoribus colliquativis continuantibus, accedente capillorum defluvio et alvi laxitate scena stadii colliquativi aperitur.

III. Stadium. *Phthisis consummata.*

Adveniente diarrhoea vires praecipitantur, quae a minimo refrigerio, si aegri caloris noctur-

ni impatientes stragula abjiciunt, recrudescit, alvus fit liquida foetida colliquativa, cibi indigesti mox per alvum ruunt, post quamvis evacuationem alvinam vires ad animi deliquium usque labuntur. Relaxatis collatoriis omnibus humores nulla obstante resistantia proprio impetu ruunt, inde in dies magis debilitantur, et ex debilitate iterum magis colliquescent. Sudor viscidus tam copiosus fit, ut aegri penitus madescant. Sub sudore et diarrhoea colliquativis febris mitior apparet ad vesperam tamen exasperanda. Macies quotidie increscit, capilli defluunt, pervigilium fit continuum, facies collapsa miserrima, oculi concavi languentes, nasus acutus, labia retracta, sitis brevi fallenda, appetitus dejectus, deglutitio difficilis apparente faucium et laryngis rubore inflammatione et aphtis, saepius tamen visu non detegendis, vox rauca, tussis difficilis, sputa foetida, lurida, purulenta, aegre ejicienda. Inde gravior in thorace congestio, respiratio stertorosa, ortopnoea, quam apnoea momentanea vel perpetua sequitur. Interdum accedit pneumonorrhagia saepe lethalis. Mens interea serena, sensus omnes illaesi, periculi ignorantia, atque continua convalescentiae spe foti sub snmma animi praesentia percunt. Aliis vires animales mirum in modum exaltatae sunt, sortem proximorum, imo mortem suam

summa animi quiete praedicunt. Nonnullis morbo ad finem tendente animus redditur morosus, ad iram proclivis, cum pronitate tamen in lacrimas et indulgentiam. Denique vel ex pure absorpto et ad caput delato, vel a congesto ob difficilem respirationem et circulum in encephalo sanguine accedit delirium, sopor, pereuntque morte convulsiva et apoplectica.

D e c u r s u s.

Phthisis pro diversitate individui, aetatis, sexus, morbi originis, formae, complicationis, influxus causarum lateralium, nec non regiminis et curae diversam agnoscit durationem et decursum diversum. Praecipiti passu ex uno in alterum stadium ruit phthisis in subjectis junioribus plethoricis irritabilibus, temperamentis calidi, ex peripneumonia phlegmonosa, morbillosa, variolosa, scarlatinosa, typhosa, vel ex metastasi imprimis ab incaute exsiccatis impetiginibus chronicis, herpete, scabie etc. vel a suppressis se- et excretionibus habitualibus exorta. Si morbus aliorum accessu ut febris catarrhosae, rheumaticae, intermittens, biliosae, hydropis, aliorumque multiplicatur, si adsunt plures et majores vomicae, si ulcera majora phagadenica pus acre vicinas partes destruens plorantia praesto

sunt, si pulmonum hemorrhagiae accedunt, si aeger in aëre depravato nimio oxygenio aliisque irritantibus gravi, in locis montosis frigido et sicco vento expositis degit, si corpus et pulmones nimis exercet, loquela, clamore, cursu, tractatione instrumentorum flatilium etc. Si spirituosus et aromaticis indulget, temperaturae vicissitudini frequenter obnoxius. Si methodus medendi justa aut negligitur aut perversa in usum trahitur. Si denique complicationes in cura non debite respiciuntur, tum morbus ex uno in alterum stadium praecipiti propellitur gressu. Hunc decursum acutum amat phthisis ex peripneumonia gravi ex metastasi aut metaschematismo nata, in juvenibus, cum ulceribus amplis, aut vomica ingenti, quibus in casibus malum ex stadio primo cito in colliquativum tendit, vel in primo jam aegros suffocatione et circulo per pulmones sublato interimit, vocaturque phthisis florida seu accelerata.

Subjecta vero laxa inertia, aetatis provectionis, temperamentis frigidi, quibus a catarrho habituali, a noxio opificio, quin peripneumonia gravis praecessisset, pulmonum suppuratione se insinuavit, quibus ulcera exigua callosa suppurationis progressum inhibentia insunt, aut qui phthisi tuberculosa laborant, quibus habitus plethoricus nisusque in congestiones deficit, ubi

morbus clandestine incedit complicationibus lateralibus liber, quibus vomicae exiguae, una post alteram in bronchia aperitur, pusque sputis ejicitur, quibus thorax minus male constitutus, a causis lateralibus gravia symptomata non accedunt; qui omne tum in regimine tum in cura vitium sedulo vitant, qui in regionibus depressis aëre calido subhumido vicissitudinibus repentinis non obnoxio degunt, qui denique opificiis noxiis valedicunt; illis phthisis plerumque lente excurrit, per plures annos morbo hoc laborare possunt mali penitus ignari, imo, qui morbum serius adipiscuntur, senectutem provectam attingunt, atque nonnisi concursu plurium circumstantiarum vitae terminum finiunt. Patet ex dictis durationem hujus morbi a multis pendere momentis, atque non raro aegris et medicis potestatem esse, mali progressum coercendi, et vitam amotis circumstantiis inimicis, retardatoque decursu prolongandi.

Morbi affines et differentiae.

Phthisis ulcerosa non raro cum phthisi pituitosa (blenorrrhaea pulmonum) confunditur, neque diagnosis ubique tam facilis ut vulgo creditur. Ab ulcerosa sequentibus differt characteribus: Absentia peripneumoniae gravis praegressae

incipit a levi plerumque catarrho, cujus relaxationis stadium simplex continuat, febris hectica deest, tussis frequens libera humida, sputa mucosa copiosa, etsi interdum flavescentia imo foetida fiunt, tamen nota mucosa praevalet. Inva-
dit subjecta pastosa laxa in copiosam mucii secretionem nec non in vitia hujus indolis abdominalia prona, habitu plerumque phthisico destituta. Febris deest, morbo autem diu protracto se associat febricula ex mera debilitate, emaciatione corporis sero in conspectum venit. Respirationis difficultas exigua, tussis libera saepe pro aliquo tempore penitus evanescens, tempestate humida frigidiuscula iterum revocanda. Decursus valde lentus, per annos durare potest quin affectum lecto tradat. Pulsus plerumque spasmodicus contractus durus, et libenter se associat nota nervosa spastica, inde saepius pressiones vagae spasmodicae in pectore persentiuntur. Tractu temporis ob congestiones ad pulmones passivas facile in phthisim ulcerosam transit, vel aegri ex nimia materiae nutritiae jactura tabifici, aut debilitate summa accedente et impossibili reddita sputorum ejectione suffocativae traduntur morti. Diagnosin et desumitur ex emolumento, quod remedia roborantia tonica praestant, in phthisi ulcerosa manifeste praecipue ab initio nociva. Optime ferunt aërem siccum cali-

dum oxygenio gravem phthisicis minime convenientem.

Aliquam et affinitatem phthisis nervosa habet, differt tamen ab ulcerosa eo, quod tussis et incommoda thoracica deficient, quod febris ab initio nunquam adsit. Occurrit in individuis irritabilibus sensibilibus, ad affectiones nervosas proclivibus, hypochondriacis, hystericis, excessibus variis exhaustis, morbis gravibus debilitatis, pathematibus deprimentibus detentis, humorum dispendio, fame, inedia etc. oppressis. Pulsus offerunt parvos irregulares cum proclivitate in sudores. Serius se associat febris tabifica, quae corporis ruinam accelerat, imo et in phthisim veram abire potest. Prosunt hic roborantia stimulis volatilibus juncta. Hae duae species, cum absente suppuratione pulmonum incedant, merito illegitimae phthises nuncupantur.

Tabes, atrophia, et marasmus toto coelo a phthisi ulcerosa aberrant, hinc vix cum hac confundi possunt.

Febris suppuratoria est continua remittens, luculentas agnoscens exacerbationes a horroribus vagis incedentes, quare cum simul tussis et sputa adsint, facile pro febre catarrhosa imponit. Distinguitur vero haec ab illa notis sequentibus: Invadit plerumque tempestate humida frigida, refrigerio praegresso non raro ab ipso aegro in-

dicato. Afficiuntur aut omnes aut plurimae saltem membranae mucosae, inde cephalaea frontalis obtusa, quae in phthisicis plerumque deficit, coryza, oculorum splendor et lacrimatio cum levi photophobia, cutis functio manifeste est laesa cum transpiratione inaequali, febris in primo stadio vehementior irritativa, moliminibus criticis non carens, disparet adhibita debita medella vel circumstantiis faventibus. Si vero catarrhus in stadium relaxationis transit, febris cessat, sola mucii secretio continuat iusta therapia aut mutata tempestate alioque influxu fausto accedente absque omni labe fuganda. Exacta anamnesis, aegri constitutio, et symptomata bene ponderata claram semper reddunt diagnosim.

Non raro febris suppuratoria fixas et periodicas ab horrore incedentes exacerbationes manifestat, et ita febrem intermittentem mentitur, hoc vero eo facilius contingit, cum occurrant febres intermittentes erraticae periodo fixae non adstrictae, nec non intermittentes occultae omnia intermittantium stadia non rite observantes. Diagnosim febris intermittens desumitur examine accuratissimo, si nulla praegressa est peripneumonia, si aeger habitu phthisico caret, si tempus vernale aut autumnale intermittens favens adest, si denique in decursu intermittens clarius evoluta regularior fit, si plures eodem

tempore grassantur febres intermittentes occultae, si sub insultu febrili ingruit cephalaea, sitis, urinae pallidae ad finem paroxysmi sedimentum lateritium deponentes mittuntur, si deficient signa in exacerbatione febris hecticae observata, si denique cortex peruvianus cum fructu exhibetur, febrem intermittentem jure pronunciare licet. In genere decursus hic plurimum docet, cum suppuratoria febris, si more intermittens incedit, post aliquot paroxysmos in continuam suis characteristicis signis bene distinguendam febrem hecticam evolvitur. Hi sunt morbi, cum quibus phthisis frequenter et facile confundi, nec non etiam complicari potest.

Ut firmior habeatur morbi diagnosi, causas phthisim producentes pulmonalem in sequentibus perlustrabo.

A e t i o l o g i a.

Causa proxima ex data definitione est suppuratio pulmonum, quare ob affectionem visceris nobilissimi, ob febrem assiduam reproductionis opus turbantem, ob humorum ex absorpto pure iniquationem, ob dispendium succorum nutriendum ad pus generandum consumtorum, et tandem ob accedentem ex debilitate et laxitate universali omnium excretionum exorbitantiam, corporis emaciatio inevitabilis est.

Dispositio.

Cum ad phthisim generandam nonnisi pulmonum inflammatio in suppurationem terminata requiritur, clarum fit, ad hunc morbum omnem aetatem, sexum, temperamentum et corporis constitutionem esse disposita, quoniam datis momentis causalibus efficacibus quilibet peripneumonia laborare potest. Ex medicorum tamen observationibus constat, nonnullis ab exigua causa excitante pulmones inflammari, cum plures iisdem circumstantiis expositi incolumes manent. Hanc eminentem in congestiones et inflammationem pulmonum proclivitatem, dispositionem vocatam, aut in totius corporis habitu, aut in prava thoracis conformatione, aut in alienata pulmonum indole, vel denique in pluribus harum conditionum combinatis fundatam reperies. Quare facilius intellectus gratia singulas seorsim pertractabo.

Caput parvum pronum, pili tenues, albicantes flavicantes rufi; facies amoena feminea cum cutis albedine nitida genis labiisque laete rubentibus, dentes candidi margaritacei, collum longum tenue, humeri angusti, scapulae alatae thorax planus compressus, mammae exiguae depressae, abdomen gracile, extremitates longae, ossa cylindrica elongata, incrementum praecox inge-

nium praematurum, cutis mollior, fibra tenerior mobilior, venositas ubique praevalens, aetas juvenilis, temperamentum sanguineum, dispositio hereditaria a parentibus phthisicis contracta, habitum universalem phthisicum exprimunt.

Pravam thoracis dispositionem exhibet sternum planum vel concavum, costae compressae cartilaginibus ossificatis, columna vertebralis diversimode incurvata vel antrorsum, (lardosis) vel ad latus alterutrum (scoliosis) vel postrosum (kyphosis).

Dispositionem pulmonum loquuntur pulmones parvi debiles irritabiles ad nimium turgorem proclives.

Causae excitantes.

1. Inflammatio pulmonum. Peripneumonia phlegmonosa nulli aetati nec constitutioni parcens, si negligitur aut perverse tractatur in phthisim transit. Omnes itaque causae excitantes, quae illam producunt, et hujus fiunt momenta causalia, quo pertinent: [Omnes laesiones traumaticae pulmonum, vulnera, costarum fracturae etc. materiae mechanicae aut chemicae pulmones laedentes, ut pulveres silicum, vapores acidi metallici sulphurei etc. Opportunum et

hic locum occupat refrigerium repentinum corpori aestuanti admissum, nec non frigidae aquae potatio corpore calefacto, ut in puellis saltui indulgentibus. Multo frequentius vero obvenit phthisis ex inflammatione catarrhosa neglecta, male tractata aut saepius recidivante. Haec inflammatio ex indole sua in suppurationem malae notae tendit producens ulcera ichorosa serpentina phagadenica materiem acrem tenuem exsudantia, plurimum vero subjectis discrasicis, cachecticis, praecipue scrophulosis inimica est. Si haec in regionibus repentinae aëris vicissitudini ventisque obnoxiiis, in aëre pulveribus aliisque heterogeneis gravi degunt, morbum hunc vix evitare possunt. Quare Viennae phthisis fere endemica observatur. Ita morbilli, scarlatina, variolae, typhus pulmonibus praepressis infausta non raro phthisim causant. Huc et referendus est metaschematismus. Praecipue erysipelas, rheumatismus, et arthritis vaga, sede repente derelicta, non raro summa ferocia pulmones adgrediuntur.

2. Metastasis. Pus saepe ex sede sua ad pulmones defertur, illorumque suppurationem gignit. Hoc observatur in ulceribus pedum incaute exsiccatis nec non impetiginibus

chronicis, aut alia quaecunque materia crisi imperfecta pulmonibus oblata, sic metastasis variolosa, typhosa lactea etc. Adnumerari potest suppressio excretionum habitualium, ut fluoris albi, coryzae artificialis seposito nicotianae usu etc. Phaenomenon hoc aut ex vera materiae transplantatione, aut ex secretionem vicaria per consensum inducta explicetur, idem est, dummodo factum constat.

3. Pneumonorrhagiae et omnes causae, quae has inducere valent, ut pulmo extensus turgens ad congestiones praecurvatae, venarum varicositas, vis externa quaecunque pulmonibus illata, menstruorum, hemorrhoidum suppressio etc.
4. Tussis habitualis ex variis causis repetenda, mox ex nimia pulmonum irritabilitate, mox ex irritamentis mechanicis, ut tuberculis, concretionibus pulmonum cum pleura, pulveribus, pilis aliisque inspiratis, mox a chemicis stimulis, vaporibus sulphureis, acidis metallicis etc. Etsi tussis qua symptoma male ad causas occasionales recenseatur, tamen cum hujus titulo plura momenta causalia comprehendi possunt, in huncce ordinem redegi.
5. Exercitia corporis thoracem gravius afficientia, opificia quaedam, ut fabrorum fer-

reriorum, scriniariorum, cursorum, musicorum instrumenta flatilia tractantium, clamor, declamationes, cantationes, omnia opificia corpore incurvato prono peracta, his nempe compresso — abdomine, et diaphragmatis descensu denegato respiratio difficilis redditur, inde stases et congectiones in pulmonibus gignuntur. Huc spectant vestes arctae praecipue vero thoraculorum abusus.

6. Humorū jactura cujusvis generis. Veneris abusus ex duplici causa hic locum meretur, partim quod humoris nobilis immodico dispendio debilitas universalis et pulmonum localis inducitur, partim quod pulmones propria philadelphia cum organis sexualibus juncti, sub cestu venereo graviter afficiuntur; inde stases. Idem de onania sanitati autem multo magis inimica valet.

Contagium a pluribus summo fervore defensum admittere nequeo. Exhalationes et excreta phthisicorum in stadio praeprimis colliquativo morbifice quidem in organismum agere possunt, quod vero phthisim producant, defendere, nec rationi consentaneum videtur, nec experientia satis evictum est. Lis medicorum circa hoc obiectum videtur ex eo prodire, quod contagii defensores hoc cum miasmate confundant, Nec opus

est ad contagium refugere, cum tot dentur causae phthisim producentes, ut quilibet pro arbitrio hoc malo dotari possit. Auctores quidem plura enumerant exempla hominum, qui cum ejusmodi morbo laborantibus commorati, tandem ipsi phthisici facti sunt, etsi habitu phthisico destituti; morbum proinde a solo contagio derivant. Sed non videntur bene respexisse dispositionem ad phthisim non in solo habitu phthisico, sed etiam in thoracis conformatione, plurimum vero in pulmonum conditione latere. Dantur homines torrosi, athletici, habitu phthisico destituti, qui tamen eminenti pulmonum debilitate et laxitate reliquo corpori minime respondente gravantur.

Terminationes et Prognosis.

Phthisis more aliorum morborum aut in sanitatem, aut alios morbos, aut denique in mortem terminatur.

Primus optatissimus exitus rarissime quidem tamen interdum obtinet sub conditionibus sequentibus: Si phthisis ab initio cognita debita therapia et regimine diaetetico oppugnatur, si est simplex, orta ex peripneumonia phlegmonosa in subjecto bene constituto, si ulceris unici pus bonae indolis sputis ejicitur aut absorbetur et per

collatoria excernitur, ulcus vero exsudante lymphâ coagulabili consolidatur. Si ex vomica exiguâ pus absorbetur, vel si celeri et plenaria facta abscessus maturatione absque duritie quadam relicta plenaria puris expuitio contingit, partesque lymphâ coagulabili uniuntur. Parvae pulmonum vomicae tenuiori puris parte absorpta interdum exsiccantur absque sanitatis discrimine. Nonnunquam pulmone cum pleura concreto vomica inter duas costas tumorem excitat et ad superficiem corporis externam aperitur cum felici eventu. Hae conditiones rarissimae et rarissimum phthiseos in sanitatem exitum observandum faciunt. Rationes vero sanationis difficillimae latent fere in sequentibus: Ipsa pulmonum structura spongiosa in congestiones et stases adeo proclivis tum suppurationi limites ponere impedit, tum cicatrisationem in tam moli fundo recusat. Obstat consolidationi continuus pulmonum sub respiratione motus. Aër atmosphaericus oxygenio suo liquationem accelerans minime arceri potest. Obvenit porro circulus vitiosus difficillime aufeendus, suppuratio enim illamque concomitans inflammatiuncula tussim sollicitat, haec reciproce inflammationem et suppurationem exasperat. His et accedit artis inopia; therapia enim indirecta insufficientis est, remedia vero empirica spe-

cifica desiderantur. Maxime vero ad exitum funestum contribuit phthisis origo, frequentissime enim ex catarrhis evoluta observatur, suppuratio eo peioris est indolis cum plerumque prava subjecti constitutione frequentissime diathesi scrophulosa complicata incedit. Quibus omnibus si mitem et lentum symptomatum decursum, malum propterea plerumque semper neglectum adnumerare velis, sufficientem frequentissimae lethalitatis habebis rationem. Phthisis tuberculosa fere semper lethalis est, partim quod vitia haec organica ante phthisim non cognoscuntur, partim quod cognita extra omnem posita circulum vix reserari queunt.

In alios morbos phthisis qua talis vix transit, sed cum diversis complicationem inire potest, ut cum febre catarrhali, intermittente, hydrope, syphilide, scorbuto etc.

Frequentissimus exitus est in mortem ex causis supra allatis bene concipiendus. Nonnunquam suffocatio vitam delet, quae in omni stadio imo interdum repente et inopinate occurrere potest, si vomica nempe tanti est voluminis, ut pressis pulmonibus respirationem tollat, idem de empyemate nimis aucto et de complicatione locali cum hydrope valet. Suffocantur vomica sub somno rupta, aut si bronchia ita pure opplentur ut

liberari nequeant. Quosdam vehemens pulmo-
 num hemorrhagia necat. Nonnunquam metasta-
 sis ad interitum contribuit, si pus nempe ab-
 sorptum ad encephalon defertur. Mortis autem
 omnium frequentissimam rationem tabes con-
 stituit.

Section II.

Partes

Diffinitio hanc habet: *est morbus*
in quo visus est
et videtur omnia momenta consilia esse
rationis inflammationem inducere possunt
trahenti vero peripneumoniae cura adhaerenda
opposita intusque phlogosis evadit. Maximum
respectum habentur catarrhi habitusque ubertim
phlogosis sunt, his bene tractatis et phlogosis
periculis deparetur. Cuius vero omnia haec ad
illud pertinent forum, hic solum solum me in
in e sufficit.
Phlogosis eius pro diversitate alii, foras
et translocantur dicitur. Acrius empiricus quo
phlogosis hanc, sola ratione hanc ea rebus an-

S e c t i o I I .

Pars therapeutica.

Difficillimus sanatu morbus facillime praecaveri interdum potest corrigendo diatheses morbosas, et vitando omnia momenta causalia, quae pulmonum inflammationem inducere possunt. Praesenti vero peripneumoniae cura adaequata opposita tutissime phthisis evitatur. Maximum respectum merentur catarrhi habituales uberrimi phthiseos fontes, his bene tractatis et phthiseos periculum disparebit. Cum vero omnia haec ad aliud pertineant forum, hic solum eorum meminisse sufficiat.

Phthiseos cura pro diversitate stadii, formae et complicationis diversa. Auxiliis empiricis specificis destituti, sola ratione ducti ea morbo op-

ponimus remedia, quae indicationi vitali et symptomatice respondet, continuo respicientes morbi characterem, causas, vires, symptomata urgentia, et complicationes. Hac sub therapia rationali interdum natura sub faustis conditionibus sanationem perficit, pluribus vero in casibus saltem vita prolongatur, et mors procrastinatur.

Cura stadii I.

In hoc stadio character inflammatorius praevalet, sequentibus hinc innititur cura indicationibus :

1. A motis causis lateralibus nota inflammatoria antiphlogisticis est oppugnanda.
2. Vires quantum licet conservandae.
3. Symptomata urgentia compescenda.
4. Pus evacuandum et ulcus consolidandum est.

Pro diverso inflammationis gradu diversa adhibeantur antiphlogistica. Si peripneumoniae gravioris comparent signa, venaesectio institui debet, hæc enim indicationi vitali satisfacit, et graviolem suppurationem præcavet. In casu urgente erit repetenda, et cum inflammatio gravior sæpius, imo morbo in secundo jam stadio versante reviviscat, hæc methodus in singulo casu necessitatis erit repetenda. Magna vero pruden-

tia medici hic opus est, ne transitoriis deceptus signis, aut nimio detracto sanguine in colliquativum stadium praecipitet aegrum. Quare venae-sectiones parcae prae generosis praeplacent. Si vero casus minus urget, merito a venae-sectione est abstinendum, ut vires aegri pro decursu longiori conserventur. Fracta jam quidquam nota inflammatoria sufficiunt remedia emollientia mucilaginosa, quae febrem compescunt, tussim leniunt, expectorationem promovent, simulque nutriunt ut: Althaea, Salep, flores Verbasci, Papaveris Rhacados, Radix Symphiti, mucilagines variae, substantiae mucilaginoso oleosae ut: amigdalae dulces, semina canabis, olea unguinosa etc. Notandum vero, haec remedia diu continuata primas vias molestare, ibi colluviem mucosam generare, et reproductionis opus turbare; quare saepius commutari debent.

Regimen diaeteticum pharmacis respondeat, Aër sit purus humido calidus, victus praesente inflammatione non nimis lautus, illa vero absente nutriens facile digestibilis non stimulans, ut jura carnum, ova sorbilia, panatella, carnes tenerae, pullorum, vervecinae, vitulinae etc. Lac humanum, asininum, caprillum, vaccinum. Potus mucilaginosus aut tepidulus aut saltem egelidus, motus corporis moderatus, animi pathemata praecipue effervescentia vitentur. Fugian-

tur clamor, risus, sermocinationes et quaecunque pectus graviter afficiunt.

Ulceris consolidatio naturae est opus, medicus ad hoc solum indirecte bene observatis regulis superioribus contribuere valet.

Non solum non prosunt in hoc stadio, sed manifeste nocent omnia roborantia, tonica, stimulantia, resinosa acria, balsamica sic dicta expectorantia, quae a quibusdam hypothesis aut cujuscunque indicationis lateralis in favorem exhibentur. Nocent omnia narcotica ad tussim sopiendam et somnum conciliandum propinata. Omnia haec non solum effectum desideratum non exserunt, sed etiam molestias omnes tussim inflammationem et suppurationem adaugent. Idem de regimine diaetetico, potibus spirituosis et cibis aromaticis valet.

Haec de phthisi ulcerosa simplici.

Si autem vomica adest, illius ruptura ad bronchia cito sed blande promoveatur, ne major pulmonis consumptio succedat. Hoc praestatur aquae vaporibus non nimis calidis saepius de die inspiratis, cujus loco si aeger in aquam meram fiduciam non habet, lac vel decoctum emolliens quoddam adhiberi potest, his etiam si ruptura aegre procedit, aceti pauxillum addere licet. Omne conamen gravius ad vomicam rumpendam commendatum consentientibus plurimis medicis

practicis dissuadeo, quo spectat risus, clamor, nixus expirationis validus ore naribus clausis exercitus, tussis violenta producta vaporibus irritantibus, vectio in rheda rapida super strata lapidea etc. Sunt enim insegura auxilia, quibus, si sub tali consilio suffocatio oppresserit hominem, medicus famam suam periclitatur, vel vero, si membranae saccum constituentes crassae sunt, rupturae loco nova hac irritatione inflammatio et ipse abscessus augetur.

Rupta vomica si suffocationis periculum instat, debitus aegro concilietur situs, ut pus exspuere valeat, si lypothimia correptus et sudoribus diffluens mortis imaginem refert, pannis calidis perfricetur, gulae irritatione conamen ad vomitum provocetur, ad se redeuntibus si expectoratio moleste procedit, emeticum exhibeatur, si vero pure feliciter evacuato ob subitam depletionem in animi deliquum incidit, debitis auxiliis revocatas infuso Chamomillae, Melissae etc. refocilletur.

Vomica rupta, si pus inter pulmones et pleuram colligitur, empyema constituit, quod ut dignoscatur, attendendum est ad inflammationem praegressam non resolutam, ad signa vomicae factae, et denique ad symptomata empyematis praesentis, prioribus alio jam loco traditis ultimorum hic mentionem facere juvabit. Si minori

mole pus nec repente evacuatur in cavum thoracis, anxietas vomica clausa causata post rupturam imminuitur. Pus vero hiatu ampliori et repente exoneratum magnam thoracis cavi partem implens dispnoeam graviolem imo suffocationis periculum gignit, aegri hoc in casu non raro rupturam sentiunt cum effusi liquidi heterogenei sensu. Fluctuatio sub celeri in latus aliud motu et ab aegris et interdum ab adstantibus percipitur. Decubitus in latus affectum praedilectus in oppositum impossibilis. Thorax percussus multo obscurius resonat. Serius sub aucta dispnoea, cordis palpitatione ob difficilem depletionem compressae venae subclaviae comparet tumor brachii ac musculi latissimi dorsi. Thorace nimis repleto costae e situ suo moventur, corpus in latus, ubi pus haeret, inclinatur, ita ut scapula lateris affecti profundius haerere videatur. Pectus sub inspiratione inaequaliter movetur, denique non raro tumor circumscriptus oedematosus in thoracis parte comparet, ubi pus effusum moratur. Cognitum empyema chirurgicum exposcit auxilium.

Vomica rupta et pure quacunq; via evacuato ulcus relinquitur, quod eodem modo tractatur ac phthisis ulcerosa.

Alia phthiseos forma tuberculosa nempe propriam exposcit medendi methodum. Glandu-

larum et systematis lymphatici infaretus ac obstructions reserare hic praeprimis indicatum est. Conducunt in hunc finem solventia antiphlogistica ut serum lactis merum vel cum aqua selterana, substantiae principio amaro mucilaginoso et salibus graves ut Taraxacum Cichoreum, Fumaria, Saponaria, Scorzonera, sales mitissimi etc. Si nec character inflammatorius nec suppuratorius nimius est, ad solventia magis irritantia ascendere licet, quo spectat Sapo medicinalis, alcalia fixa, Gummi amoniacum, substantiae resinoso acres, antiscorbuticae etc. Cautè vero cum Mercurialibus, Antimonialibus, et narcoticis ut Cicutà etc. incedendum est. His semper emollientia mucilaginoso sunt jungenda in usum simul tracto regimine diaetetico pharmacia respondente. Haec phthisis corporis motum quidquam validiorem admittit; ceterum cura non differt a therapia phthisis ulcerosae.

Cura stadii II.

Evanescente nota inflammatoria character suppuratorius hic praevalet, antiphlogistica hic seponenda erunt, nisi recrudescente inflammatione desiderentur. In stadio hoc febris suppuratoria et suppuratio est imminuenda, vires pro longiori decursu conservandae, et symptomatibus

urgentibus prospicere oportet. Emollientia in primo stadio comendata etiam hic quadrant. Si vero febris mitissima nullum respectum meretur, et mucilaginosa systema reproductionis infestant, exhibeantur praeprimis peccante laxitate amara levissime tonica ut: Gentiana, Trifolium fibrinum, Centaureum minus, Poligala amara etc., nec non Cortex peruvianus praecipue cum lacte. Cannubium vero mucilaginosum nunquam est negligendum. Egregios exserit effectus Lichen islandicus principium amarum et mucilaginosum conjunctum offerens.

Molestissimum symptoma morbum exasperans, somnoque denegato debilitatem adaugens est tussis, quae exhibito ad vesperam Opio aut Hyosciami Extracto mitigatur. Monendum tamen est, narcotica non prodiga manu esse propinanda, illorum enim usui aegri facile asvescunt, et semper major requiritur dosis ad desideratum effectum praestandum, quo inducta narcosi debilitas augetur. Praeterea Opium sudores movens in morbo ad illos proclivi magnam exposcit circumspersionem.

Quae circa regimen diaeteticum in primo stadio prolata sunt et hic valent, sola differentia, quod victus sit lautior; aegri ob nimiam humorum nutrientium suppuratione consumpto-

rum jacturam supernutriri quasi debent. Supra memorata hinc magis concentrata sed parca manu, ut debite digeri possint, frequentius tamen repetita exhibeantur.

Stimulantia volatilia, balsamica, resinosa, fumigationes a nonnullis scopo ulcus consolidandi commendata dosi majori nimis irritant, malumque exasperant, parva illorum quantitas desideratum effectum non praestat. Plura praeterea in hoc stadio a medicis proposita et exhibita sunt remedia. De nonnullis inferius sermo erit; reliqua recensere operis scopus prohibet, sufficit notasse, illa plerumque insufficientia fuisse.

Cura stadii III.

Cum hic summa debilitas, laxitas, et colliquationis progressus interitum minatur, therapia sola indicatione vitali dirigitur. Vires sunt erigendae, laxitas corrigenda, colliquatio coërcenda et symptomata maxime urgentia respicienda sunt. Indicata hinc sunt roborantia et stimulantia. Princeps remedium in Cortice peruviano habetur, qui varia dosi et forma casui et individuo respondente a medico prudenti propinatur. Quadrant et hic omnia roborantia et vo-

latilia, continuato simul emollientium usu, quae tussim sopiunt et expectorationem promovent. Praesente vero diarrhoea omnia in cassum adhibentur, quamdiu haec non silet, cum remedia fere immutata cito per alvum ruunt. Quare indicationem vitalem symptomatica suffulcire debet, quo pertinet cura diarrhoeae, sudorum, tussis, anginae, et suffocationis iminentis.

Diarrhoea pro diversitate casus diversam exposcit medelam. Humores irritantes acres cum tenesmo secedentes postulant Emollientia mucilaginoso cum opio tum ore assumenda tum enematis injicienda. Alvi vero fluxus a sola debilitate et laxitate pendens roborantibus aromaticis sedatur, ut: Chamomilla, Mentha, Melissa, foeniculo, Cinnamomo, Calamo aromatico, Angelica, Valeriana, Radice Colombo, Opio, pulvere Doweri etc., nec non clysteribus mucilaginoso cum Opio. Omnia haec eo tutius adhibentur, cum simul indicationi vitali satisfaciant. In casu desperato ad enemata ex lacte calybeato, therebintina cum mucilaginis et ad alia fortiora adstringentia erit recurrendum.

Sudores qua symptoma morbi solum justa hujus cura imminuuntur. Praeter tractamentum quidquam frigidiusculum contra sudores nullum scitur remedium efficax.

Tussis exposcit Emollientia mucilaginosa, quibus et pauxillum Opii aut Extracti Hyosciami addi potest.

Angina ex aphtis nata lenienda est linctu mucilaginoso, mixtura oleosa aliisque involventibus.

Molestissimum symptoma est omni momento imminens suffocatio. Nam ad finem morbi debilitas ita increscit, ut sputa ejici nequeant, accumulatur in pulmonibus et bronchiis, aegrumque a minimo motu suffocare minantur. Haec molestia solum revocatis viribus auferri potest, quam difficile vero vires exhaustae restaurentur, nemo medicorum ignorat. Phthisis itaque in hoc stadio merito conclamata vocatur. Quae indicationi vitali respondent remedia, et hujus symptomaticae curae satisfaciunt.

Diaeta sit nutriens, roborans, et stimulans.

Cura complicationum.

Complicatur vero phthisis vel ratione individui ante morbum minus sani, ut phthisis in subjecto scrophuloso, syphilitico, arthritico, herpetico, scabioso, scorbutico, hydropico etc., vel ratione originis, ut phthisis ex suppressis excretionibus habitualibus, metastasi etc. orta,

vel denique ratione causarum, ut complicatio cum febre catarrhosa, intermittente, biliosa, gastrica, nervosa etc. Princeps hic semper est indicatio complicationem amovere morbumque simplicem reddere, continuo indicationem vitalem respiciendo, ut morbus vitae maximas struens insidias primo fugetur.

Frequentissime phthisis in subjectis scrophulosis occurrit. Facilius debita morbi scrophulosi cura praecavetur, quam praesens phthisis sanatur. Omnia contra phthisim tuberculosam laudata et hic prosunt, amara solventia, tonica leniora tanto magis hic quadrant, cum decursus lentus, et ob praevalentem laxitatem nota inflammatoria vix notabilis sit. Si habitus est iners, pastosus, bene conducunt antimonialia, emetica in refracta dosi, Guajacum, stipites Dulcamarae, resinosa etc. Poligala amara contra phthisim celebrata hic juvisse videtur. Datur vero diathesis scrophulosa magna sensibilitate et irritabilitate incedens, quo in casu cura a phthisis ulcerosae simplicis therapia non multum abludivit. Vitanda sunt in tali individuo stimulantia, alterantia; solum amara solventia bene feruntur.

In subjecto syphilitico duplici modo phthisis oritur, prout aeger syphilide locali aut universali laborat. In casu priori interdum a me-

dorrhoea repente suppressa gignitur, acutum exhibet decursum, et solum citissime revocato pristino fluxu coerceri potest. Phthisis in individuo syphilide universali laborante eo contingit, quod hoc miasma membranas mucosas praeprimis diligens, tracheam, bronchia et cellulas aëreas occupet. Si malum non est inveteratum, aegri constitutio laudabilis, morbus saepe feliciter sanatur antisyphiliticis simulque in usum vocatis remediis, quae contra phthisim supra commendavi. Non raro autem in syphiliticis ex abusu Mercurialium praecipue Sublimati corrosivi inducta summa debilitate, laxitate et diatesi scorbutica phthisis generatur. Prognosis hic valde ambigua. Abstinentum pro aliquo tempore a Hydrargyro, vel praeparata commutanda sunt. Exhibeatur decoctum lignorum, stipites Dulcamarae etc. Summum autem remedium Cortex peruvianus exhibet, quibus omnibus mucilaginosa ubique interpolanda sunt.

Arthritis vaga non raro sede derelicta repente pulmones petit producens peripneumoniam brevique suppurationem. Prior antiphlogisticis simulque revellentibus, vesicantibus, sinapismo fortissimo etc. sedi pristinae impositis curatur. Suppuratio ulceribus artificialibus, setaceo, inunctione Tartari emetici aliisque interdum sup-

primitur, quae ulcera diu fluentia servanda, et caute absente jam omni molestia exsiccanda sunt.

Idem valet de phthisi ex repentina suppressione psorae, herpetis, praematura exsiccatione ulcerum pedum aliisque metastasibus nata, quae excitata in loco externo secretionem vicariam nonnunquam felicissime tollitur. Ulcera haec artificialia aut in loco ipso prius affecto, aut huic saltem proximo provocentur, nec non teste experientia commercio nondum sat cognito suris inflictis saluberrimos exhibent effectus. In casibus his methodus antagonistica summi momenti, in phthisi ulcerosa simplici plerumque nocebit, cum suppuratione multiplicata, reproductione cohibita, febrisque aucta corporis ruina praecipitatur.

Psora, herpes aliaeque impetigines, etsi nullo in nexu cum phthisi sint, quantocius caute tamen sunt amovendae, sistunt enim complicationem in reproductionis et propterea in integrum vitae munus pessime influentem.

Ita et summo conamine diathesis scorbutica est auferenda.

Non infrequentem complicationem hydrops sistit. Pro diversitate casus mox mitiora mox graviora antihydrica in usum vocanda sunt, quorum numerus et proprietates in pharmacolo-

giis relegendae. Mentionem tamen Digitalis purpureae facere oportet loco hic maxime congruo. Vix existit remedium, quo medici moderni magis abuterentur. Ubicunque aliquam secretionem morbosam, humorum collectionem metastasim suspicantur, et quod (maxime indignandum) absentibus signis hypothetice defendunt, sive sit morbus febrilis sive chronicus neglecto respectu characteris morbi, corporis conditionis aliarumque circumstantiarum indiscriminatim ad Digitalim refugiunt. Gaudet quidem viribus egregie diureticis sed etiam vehementer narcoticis, quibus nervos proprio modo pessumdando pertinacem et constantem relinquit effectum contra narcotica cognitis antidotis minime corrigendum. Praeterea virtus ejus pro diversitate climatis, soli, collectionis temporis, siccationis aliarumque circumstantiarum valde variat, sistit hinc remedium non satis securum, quod praeterea lente agit, et multis in casibus diuresi nec minime aucta solos nervos inimice adgreditur, vires prosternit vix aliis revocandas auxiliis. Omnia haec propriis observare oculis licuit. Accedit, quod vis narcotica non more aliorum tussim sopiat, sed potius exasperet. Proficere potest in subjectis laxis pastosis inertibus absente nimia sensibilitate et irritabilitate, quibus vires praeterea vi-

gent, febris exigua est, et ubi praeter phthisim manifesta adsunt hydropis symptomata. Nec pertinaciter illius usui est insistendum, cum dentur individua; quibus Digitali diuresis aegerrime movetur. Patet ex dictis Digitalim purpuream magnam a medico exigere prudentiam et circumspectionem, atque ab initio semper aliis diureticis postponendam esse. Celebrata est porro a *Cel. Hufeland* et *Macleán* contra phthisim tuberculosam, ast morbi natura et remedii in organismum cognita actio non magnam promittit spem.

Aliae causis lateralibus inductae complicationes ut: febris inflammatoria, catarrhosa, rheumatica, intermittens, biliosa, gastrica, nervosa etc. propria cuilibet medico cognita methodo sunt amovendae.

Volui hisce attentionem movere, phthisim saepissime complicatam occurrere. Bene perspectis et amotis complicationibus non immerito spes fovetur fore, ut morbi lethalitas rarior observetur, aut saltem vita multo prolongetur.

Diversa in phthisi commendata remedia generatim saltem breviterque recensui. Superest quaedam de usu fluidorum aëriiformium intrudere.

De usu fluidorum gasiformium.

Influxus aëris non solum in universam organismi oeconomiam, sed etiam in pulmonum conditionem ex recentiorum conaminibus innotuit. Diversas aëris conditiones a climate, anni tempore, tempestate aliisque pendentibus veteres jam medici sola empiria ducti contra varias morborum formas comendarunt; sic phthisicis peregrinationes in loca calidiora, cohabitationem cum hominibus sanis, nec non commorationem in stabulis non abs effectu salutari proposuerunt. [Nostro scientiarum progressibus illuminato seculo Angli praeprimis diversas morborum formas usu fluidorum gasiformium sanarunt. Pulmo in hoc respectu exhibet organon externum cui auxilia haec immediate applicari possunt. Horum corporum fluiditas summa elasticitas, et gravitas, pulmonum textura spongiosa cellulis aëriis tota per-texte faciliat, ut nulla sit pulmonum plaga fluidis hisce invia. Constat praeterea suppurationem nonnisi exaltatum processum oxydationis esse, constat et in ulceribus externis quotidie videre licet, oxygenium bonam ulceris indolem mutare et liquationem intendere, atque ulcerum externorum sanationem saepissime solo inhibito aëre atmosphaerico procurari; in casibus gravioribus

remediis desoxydantibus azoto hydrogenio, carbonio, onustis ulceribus applicitis sanitatem felicissime restitui. Gas oxygenium a pulmonibus quidem perfecte arceri nequit, sed ejus copia imminui atque vis destruens et resolvens aliorum connubio obtundi potest.

His praemissis sponte liquet, inter corpora aëriiformia contra phthisim praecipue gas azoticum, hydrogenium et gas acidum carbonicum adhiberi posse, fors continuatis experimentis et alia in phthisiologia opportunum tenebunt locum. His omnibus aër atmosphaericus pro vehiculo inserviat. Haec fluida mera inspirata sensibilitatem et irritabilitatem deprimunt, brevique extincto principio vitali mortem inducunt, minor est gas azotici virtus, eximia gas acidi carbonici, medium inter utrumque gas hydrogenium tenet locum. Magna autem aëris atmosphaerici copia diluta et inspirata sensibilitatem et irritabilitatem compescunt excedentem, simulque principio contractivo vim praevalentem conciliant. Qui haec cum symptomatibus phthiseos bene comparaverit, non invitus fatebitur, fore ut phthisis pertinacia tempore in his auxiliis reperiat fors suam ruinam.

Circa hoc objectum legi merentur:

Betrachtungen über den medicinischen Gebrauch künstlicher Luftarten und die Methode, sie in grossen Quantitäten zu bereiten, v. Th. Beddoes und J. Watt; übers. aus dem Engl. Halle, 1796.

Cavallo's, Versuch über die medicinische Anwendung der Gasarten, mit Zusätzen, herausgegeben v. D. Alex. Nicol. Scherer, Leipzig, 1799.

Theses defendendae.

1. Aequè magnus est medicus, qui morbum insanabilem cognoscit, ac qui sanabilem sanat.
2. Non phthisis sed disposito hereditate acquiritur.
3. Phthisis non est contagiosa.
4. In phthisi remedia sibi opposita prodesse possunt.
5. Vis absorbendi venis etiam competit.
6. Circulatio sanguinis solis legibus mechanicis et hydraulicis explicari nequit.
7. Narcotica stimulo negativo agunt.
8. Cujusvis remedii actio primaria stimulans est.
9. Solus pulsus alteratus non constituit essentiam febris.

10. In febribus circa exitum non dari potest certum praesagium.
11. Praestat nullus, quam superficialis medicus.
12. Ideo Chirurghi a praxi interna penitus sunt arcendi.
13. Herniotomia non constituit curam radicalem.
13. Sola hinc hernia incarcerata operationem indicat.







